



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

7. Quid in his Themistius peccauerit

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

interim agens illa impartibili sua cognitione, quandiu cum intellectu potestate coniunctus est; mox eam recuperaturus, cum absolvetur ab illo.

*Vnicus
in omni-
bus in-
tellectus.*

Hunc porro intellectum cum hominis essentiali formam posuisset Themistius, eundem addidit vnicum numero esse in hominibus cunctis. His vel maximè argumentis. Primum quoniam vnum est lumen, vnus sol animalium omnium oculis largitor luminis, quo è potestate ad actum ducuntur. Deinde, quod cum omnis materia sit expers, multiplicari numero nequeat. Siquidem ea, quæ in eadem specie multiplicantur numero, inter distinctionem materiae discernuntur. Intellectus illi, si plures essent, quoniam modo differrent? Neque verò eos differre posse specie colligit: tum quia eandem omnes essentialiam habent, quæ est actus: tum quia eadem obiecta intelligunt. Tertium argumentum est, quod eadè omnibus sunt communes notionès, nulloque doctore cunctis eadem ingeniata primorum terminorum ac principiorum notitia. Quartum, quod intelligere nos vicissim alter alterum non possemus, nisi vnus communis omnibus intellectus in esset. Quintum, quod vt constent disciplina & vnus docere, alter doceri queat; necesse est *ἕνα τὸ διδάσκειν*, hoc est commune & eandem notionem esse, quæ à doctore in discipulum transfundatur. Quod si eadem sit notio, idè quoque in vtroque fuerit intellectus: siquidem in intellectu essentia & actio sunt idem.

Tamen præter hos duos intellectus tertium illum adiungit, quem passiuum & corruptibilem Philosophus dixit, toti coniuncto communem, permixtum cum corpore, ab eoque inseparabilem. Hunc esse partem illam animæ interpretatur, quæ perturbationum sedes est; seu rationem, quæ illis inest. Hæc enim animæ pars omnino rationis expers non est: sed in homine, vt illi paret moniti que consentit, sic rationis vt cumque participes est. Deinde audacia, metu, & spe futurum tempus respicit: quod nullum animal præter hominem facit. Nullum enim confidit, nullum metuit, aut sperat; sed circa præsentia solum delectatur aut dolet. Immo verò humani affectus ad eam rationis participes effici possunt, vt ad mediocritatem redacti virtutes euadant. Hæc Themistius de intellectu; Aristotelisque, Theophrasti ac Platonis sententiam fuisse contendit.

7. Quid in hisce Themistius peccauerit.

*Qui
verè
Themis-
tius.*

IN quibus quædam verè, alia minùs verè atque accommodatè constituta fuerunt. Verissimè fuit dictum, intellectum vtrumque, tum agentem, tum patientem; tum perfectum, tum imperfectum; tum actu, tum potestate; immaterialem esse, corpori impermixtum, abstractum, separatum, impartibilem, & immortalem. Illum altero hoc meliorem esse ac præstantiorem. Eumque non Deum, sed Deo similem esse: quod vt Deus naturales omnes formas, sic omnes ille intellectuales procreat: & vt ille vniuersa re ipsa producit, ita hic intellectus cuncta facit atque in intellectu potestate producit. Intellectum hunc agentem intimè quidpiam in nobis esse, quod non assistat solum, sed ad naturam nostram pertineat; velut

A agens intimè comparatione alterius intellectus potestate, velut patientis. Intellectum potestate priorem agente intellectu in nobis esse, velut imperfectum perfectò. Neque agentem in nobis semper intelligere, sed ab omni læpè intellectione vacare. Tertium ab his duobus diuersum intellectum illum esse, qui passiuus & corruptibilis nuncupatur. Ac demum perturbationes in nobis quoquomodo rationis participes esse; quæ vnus illius imperio frangi, componi, & sedari queunt, eique parent & obediunt. Vnde in 1. Polit. lib. cap. 3. animæ quidè dixit Philosophus habere in corpus imperium despoticum, mentem autem in appetitum, in quo perturbationes sæuiunt, ciuile & regium. Hæc inquam verè fuerunt tradita.

B At alia complura perquam falso. Primum illud; agentem intellectum substantiam esse per se. Philosophus namque non substantiam, sed animæ facultatem posuit: omnis autem facultas qualitas est, non substantia. Eundem voluit differentiam ac partem animæ esse: non igitur differre ac seorsim subsistens substantia est. Deinde si cuiusmodi substantia est, quomodo essentialis esse potest hominis forma? Omnis enim essentialis forma natura est imperfecta & dimidiata; non perfecta & per se coherens. Tum verò cum Aristoteli æternus fuerit mundus, & idèo humana quoque species æterna; intellectus hic, quem essentiali formam hominum omnium formam Themistius ponit, per se nunquam fuisse, neque futurus esset abiunctus à nobis & separatus.

C Ex quo & alterum illud redarguitur, quod intellectum hunc suapte natura semper intelligentem & actu esse dicit; habere que impartibilem intellectiōnem, & eam recuperaturum, vbi ab intellectu potestate solutus fuerit. Nam si vnus est in omnibus, neque humana species principium vnquam habuit aut habitura est finem; quando quæso impartibilem hanc habuit aut à nobis solutus recuperaturus est intellectiōnem? Quando vnquam fuit aut futurus est semper actu intelligens? quæ diu est in nobis, interdum est potestate, interdum actu? Deinde quoniam intellectum quoque potestate fatetur immaterialem esse & separabilem; aut cum intellectu agens separatur, cum eo simul intellectus item potestate separatur, aut non separatur: si cum eo simul separatur, eodem modo, quo priùs, intelligit; neque eius actio impartibilis fuerit, nec semper, nec idem cum essentia. Sin autem seorsim vtique separatus exiit, frustra nimirum & otiosus fuerit intellectus ille potestate, qui nihil sine agente potest intelligere. At quoniam is fatetur, nequaquam agentem intellectum esse Deum; quomodo potest mox illum affirmare impartibiliter omnia in seipso continere, simulque intelligere? Nam vt nunquam cum mitam à nobis atque à potestate absolui, quam diuque in nobis existit, partibilem intellectiōnem habere: sanè continere omnia in seipso, & idèo simul omnia impartibili vnica intellectiōne intelligere, solius Dei, qui est omne ens, censetur proprium.

D Tertium est coniunctio illa, tanquam formæ & materiae, quam in duobus intellectibus affirmat, neque alio astricto argumento, quam quod agens patientem totum permeet. Quod si ad id probandum sit idoneum; probabit quoque eandem intelligentiam

telligentiæ motricis, & cœlestis orbis moti conjunctionem; peripateticis quidem certè antiquioribus incognitam. Verùm cum intellectus uterque sit immaterialis, eiusmodi materia & formæ essentialis copulatio inter duo immaterialia esse non potest: siquidem omne ens immateriale substantia sua est actus, materia verò essentialem significat potestatem.

^{4.} *Hominis essentia.*
Vnde & quartum illud corrui; hominem ex duplicis huius intellectus copulatione constare eiusque esse & formam intellectum agentem esse. Vt mittam hominis formam rationalem animal, quæ hominem facit hominem, Aristoteli ac cæteris fuisse semper intellectum autem hunc non ut formam, sed ut agentem; non ut det esse, sed ut operandi principium sit & intellectum potestate in actum prouehat, resque actu intellectuales efficiat, cogitatum fuisse. Et ideo lumini comparatum, quod & colores actu aspectabiles facit, & aspectum ad aspiciendum actum promouet.

^{5.} *Intellectus habitus quid.*
Quintum autem illud, intellectum habitu eum esse, qui ex intellectu agente & patiente compositus coalescit; minimè Aristoteli est ac cæteris peripateticis consentaneum: qui eum potius esse voluerunt, qui cognitionum habitibus ex cultus sit & exornatus. Intellectum inquam ipsum, qui potestate dicitur, postquam fuerit singula factus, ut in tex. 8. Philosophus loquebatur. Nem & in tex. 55. superioris libri, & deinceps scientem velut intellectus in habitu exemplum posuit sensus ad sentiendum idonei. Scientemque hominem appellari dixit, potestate, habitu, actu: quorum primus intellectum potestate significat ad scientiam comparandas idoneum: alter intellectum habitu, qui, comparatis illis contemplari possit: tertius intellectum actu, qui utatur habitu reque ipsa contempletur.

^{6.} *Contra intellectus omnium inter.*
Sextum est, agentem intellectum in hominibus omnibus esse unum. Quippe si ita sit, nisi ab hoc & illo pereunte homine separatur, nunquam tamen ab omnibus ita separabitur, ut Themistius asserit: ut inquam per se seorsim existat, pristinamque recuperet conditionem, & ad genuinam naturam suam atque actionem redeat. Deinde ut vnus intelligit, alter non intelligit; vnus rem eandem hoc modo, alter opposito & contrario modo intelligit: sic idem numero intellectus simul & eodem tempore vnam & eandem rem intelligeret & non intelligeret; esset simul actu & potestate, contrariaque, pugnantes & contradicentes intellectiones haberet, ad easque intellectum potestate proueheret. Id verò ne mente quidem concipi potest. Etenim si vnus est intellectus in omnibus, dum operatur in vno, operaretur item in omnibus, vnoque intelligente simul omnes intelligerent. Et licet plures ac diuersæ phantasiæ essent; Quidquid tamen in vnico illo reciperetur intellectu, hoc est quæcumque intellectio speciei esse intellectuales, in omnibus simul reciperetur: Atque dum intellectus rem in phantasia representatam sibi assimilatur, & in seipsum traducit; si idem est omnium intellectus, omnium igitur intellectus eam sibi assimilatur, omnesque intelligunt. Vt autem pugnantes sunt in diuersis hominibus opiniones, vno aiente, altero negante vnam eandemque rem; quomodo simul ex in eodem intellectu sint? Quod

A enim in se quisque experitur, se non posse rem eandem affirmare simul & negare, opinari esse & non esse; idem in vniuerso hominum genere vnicoque illo intellectu eueniret, si vnicus numero in omnibus esset. Accedit, quòd intellectum hunc ipsam formam essentialem Themistius prædicat: quare homines omnes essentia essent vnus homo; quippe per eandem numero essentialem formam constituti. Vnã autè numero essentialè formam, non dicam in tam multis, sed omnino in pluribus subiectis simul esse, aut ex alijs in alia migrare; non solum non credit Aristoteles, immò absurdissimè iudicauit: ut ex ijs potest intelligi, quæ eandem ob causam aduersus Aueroem in superioribus disputata fuerunt. Deinde si essentialis est forma, imperfecta igitur & dimidiata natura est, suaque conditione alterius pars. Aut ergo ab intellectu materiali separari nequit; aut si separatur, imperfectus erit & præter naturam meliusque habeat in corpore: Quòd si cum altero intellectu simul separatur coniunctus (siquidem is quoque separabilis est) eodem modo, quo antea, intelligit; nec suam vnquam naturam & actionem recuperabit.

B Neque ad hanc sententiæ suæ partem suadet sapienter Themistius argumentatur. Nam sol quidem vnus est, qui oculis omnibus lumen impertit: at non vnus est numero, sed specie duntaxat lumen, quòd in oculis pluribus, eum subiectis suscipitur. Vnitatem enim numeri à subiecto mutuate accidens consentiunt Philosophi. Non est etiam in oculis omnibus idem impartibile lumen, sed plures ac diuersæ luminis eiusdem partes. Quo circa si vnus is & in diuiduū agentem intellectum cum hominibus omnibus copulari contendat, parùm sapienter ratiocinatus fuerit. Melius verò in altero illo argumento, quo vnus numero eum esse contendit; quoniã immaterialis est. Alter

C namque intellectus potestate eius sententiã immaterialis est; ergo vnus numero: nunquam igitur agens ab eo separatur, sed ambo simul ab hominibus singulis. Quomodo igitur separari eum ait atque ad suam naturam & actionem redire? Deinde uterque intellectus idem numero est in hominibus omnibus: vnde nam igitur intelligendi tanta diuersitas, tantaque intellectionum pugna? Quòd si intellectum potestate, licet immaterialem, non specie, sed numero multiplicem is fateatur; fateatur item agentem. Verùm totum hoc argumenti genus cum Aueroem quoque commune esset, paulò ante notato loco pluribus explicatum fuit. In 3. argumento adferenda non erant communes eadem notiones primorumque principiorum notitia. Quoniam hæc lumine intellectus naturalituntur; eundemque specie ac natura, non numero intellectum in omnibus nobis ostendit. Quartum verò illud, quòd vicissim nos cognoscimus, sapiente Philosopho indignum est. Siquid Deus quoque nos cognoscit, nosque eum vicissim intelligimus, cæterique intellectus abstracti mutuo se intelligunt; nec tamen eodem numero præditi sunt intellectu. Sed quoniam omnes sunt intellectus atque intellectus omnis & intelligere potest, & intelligi; estque tum intellectus, tum intellectus. In quinto demum, cum idem in docente & discente vnica, eandemque mentis notionem & conceptionem postulat; non nu-

Ad 1. argumentum.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.

Ad 5.

niero, sed specie eandem concedemus: quemadmodum ex responsione ad tertium Averrois argumentum loco iam bis citato intelligi potest. Numero enim tam multa sunt, quam multi intelligentes intellectus. Quamquam dū ex eo, quod eadē sit notio, eundem esse intellectū confirmat; quoniam in intellectu idem sunt essentia & actio; falsum quoque omnino accipit: quodque de solo intellectu diuino, aut etiam secundum Aristotelem de intellectibus abstractis affirmari potest, ad nostrum ille traducit.

7. Septimum eiusdem auctoris peccatum fuit in tertio illo intellectu interpretando, quem passiuū & corruptibilem Philosophus dixit. Secus enim ceteri omnes exposuerunt, atque ex ipso Aristotele manifestē colligitur; quemadmodum post suo loco docebo.

8. Octauum quōd audaciam, metum, & spem solius hominis proprias, non cum bestiis communes, esse scribat. Cū tamen sentientis appetitus perturbationes existant atque ex amore & desiderio oriuntur: quæ omnia bestiis item insunt. Deinde metuentes illas, audentes, & sperantes manifestē nimis videmus; quōd aut malum imminere sibi, aut bonum consequi se posse putent. Si leporem canis viderit, aut accipiter auem non multum distantes, eas persequuntur statim, quōd consequi se posse putent: non item si nimium distent. Hoc autem quid aliud est, quam audere, & sperare, aut desperare? Lepus item & auis fugiunt aut non fugiunt; quod nil aliud est, quam timere, aut nō timere. Etenim ex apprehensione possibilis boni aut non possibilis consequuntur naturaliter audacia, spesque, aut desperatio animalibus; vt rebus non cognoscantibus naturalis propensio; insit à natura, vt possibile prosequantur, bonum, nec frustra circa impossibilia laborent. Ex imminente autem malo nascitur metus, quo illud caveant, sibi que mature prospiciant. Animalia maiora, robusta, ac generosa, aduersus minora infirma & imbecilla, siue eiusdem, siue alterius speciei, audentia videas; hæcque metus ac pauoris plena: Id in canibus quotidie cernas. Vnde & illud extat in 3. lib. de partibus animalium cap. 4. animalia, quæ paruum habent cor, audentiora esse fidentioraque; timida, quæ magnum: idēd lepus, ceruus, & alia quædam timida. Neque in re tam aperta & omnibus manifesta diutius immorandum est.

9. Nonū & vltimū est, quōd humanos affectus ait ad medio eritatem redactos virtutes effici. Sunt enim affectus materia quidem, circa quam virtutes morales versentur; at virtutes nec sunt, nec euadunt vnquam. Quippe virtutes omnes in rationali parte continentur; & ex, quæ morales vocantur, electione constant, electiusque habitus dicuntur: electio autem voluntatis & rationalis appetitus actio est; vt in 2. de moribus ad Nicomachum pluribus explicatur. Nunc hæc Themistium admonuisse satis.

8. Quid opinatus Plotinus fuerit.

Quod autem Plotinum scribit Philoponus duplicem intellectum posuisse, humanam

vtumque; alterum semper intelligentem, quippe animam esse semper mobilem Plato prædicat; atque hunc agentem esse: alterum non semper, sed interdum; huncque materialem & potestate nuncupari: concisè nimis dictum est, longioreque indiget explanatione.

Atque vt altius repetam, quid is de intellectu senserit; in libro sanè contrā Gnosticos ad hunc modum ratiocinatur. Mundus vnus est, ordine formosissimus, vitalibusque vbique motibus efficacissimus. Idēd tria mundi principia. Ipsum bonum & vnum, ad quod nituntur omnia: Intellectus primus eodē semper modo in actu constitutus; & idēd principium & auctor ordinis: Ac demum anima mundi, quæ vitalem motū velad ipsum vel circa ipsum efficit. Ita corporeus hic mundus ad animam per se mobilem motuque proprio cuncta mouentem primò reuocatur: Anima ad intellectum omnino stabilem statuque suo cuncta regentem; Atque hæc tandem ambo ad ipsum bonū, cuius gratia & intellectus agit, & animā mouet, & in quo intellectus quiescit, & circa quod reuoluitur anima. Intellectus stabiliter agens ad bonum bono quàm proximus est; anima per essentiam manens, & per operationem mota, atque post progressionem rediens in seipsam, proxima existit intellectui omnino stabili & in seipsam penitus conuerso. Atque porro, id est rationem, quam inter intellectum & animam aliqui mediam ponebant, non aliam contendit ab illis diuersam esse substantiam; sed ab intellectu in animam procedendo intellectualem eam efficere.

Quocirca in libro de substantijs cognoscantibus quatuor cognitricibus virtutibus positus, sensu, phantasia, *νεύρωσις* seu *διάνοια*, hoc est ratiocinatrice facultate, ac demū intellectu tanquam omnium supremo: ratiocinatricem virtutem inter phantasiam & intellectum mediam formas prædidit vtinque suscipere, tum à phantasia phantasmata, tum intellectuales species ab intellectu, easque componere ac diuidere: formasque nuper à phantasia ingestas, quæ velut accidentarie sunt, antiquis illis accommodare, quæ essentielles existunt, & aut in intellectu continentur, aut ab illo desuper sibi rutilante procedunt: atque intellectualis efficitur, dum impressa accipit ab intellectu vestigia. Cæterum intellectum hunc præ aut differentiam negauit esse animæ. Quoniam anima propriè dicitur vt est mouēdi principij actus, ab vno ab aliud ratiocinando progreditur: intellectus actionem simplicem habet & stabilem. Ita rationalis sola virtus anima est, qua nos rationales vocamus: solaque diuina forma nostri essentialis, qua id sumus quod sumus; quæque semper vtimur. Intellectus superior nobis exiit, sensus inferior: vterque non nos, sed noster, quatenus vtroque vtimur; sensu semper, intellectu interdum: sensu quidē tanquam nuntio, intellectu autē velut rege diuina superimposito: neque eo ad nos annuente, sed nobis potius ad ipsum superne inspicientibus. Regnamus verò nos, quando secundum illum agimus. Idque duobus modis. Aut quōd rerum notiones velut leges inde suscipimus. Aut quōd per frequentem illius vsum ita eo repleamur, vt illum penitus induamus, sicut materia formam, atque sub illius actu agamus. Næ & materia.

Dardanus

Perturbationes in bestiis quoque esse.

Perturbationes virtutum materia.